



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760


XXV. De pensionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

quas pro modo facultatum, quum lege nulla teneantur, erogant¹. Antiquissimum jus rex habet, singulis monasteriis, quæ fundavit, imponendi *laicum religiosum* vel *oblatum*; quales plerumque sunt milites & militum præfecti mutilati: quorum plerique pensionem annuam maluere, quam in convictu monachorum degere². Quum Ludovicus XIV. Parisiis palatium *valetudinariorum* militum exstrueret, huic pensiones omnes *oblatorum*, quæ singulæ 150. libris æstimantur, transcripsit³. Cui oneri subjectæ sunt omnes abbatia & prioratus, ad quos rex abbates & priores nominare potest, idque exigitur una cum decimis.

nafteria
in Fran-
cia.

- 1) GUIM. in Pragm. de annat. §. quod si eccles.
- 2) Conf. ord. l. 1. tit. 7. §. 18. seq. Louet. O. 7. Mem. du Clergé part. 3. tit. 4. c. 3.
- 3) Ord. 24. febr. 1670.



C A P. X X V.
D E P E N S I O N I B U S.

I.

Beneficiorum reditus sæpe *pensionibus* alii solvendis minuuntur; quod pridem fieri cœptum, ejusque rei illustre habetur exemplum concilio Chalcedon¹. quo Bassiano & Stephano, qui de sede Ephesina contenderant, exclusis assignantur ducenteni solidi aurei quotannis ex episcopatu pendendi, qui sunt 1600. libræ, monetæ Francicæ². Ex quo apparent causæ pensionis assignandæ, scilicet, ut pax conserve- tur, & ut ejectus de Ecclesia habeat, unde se

Pensiones
veteribus
haud in-
cognita,

exhibeat. Apparet etiam, successorem pensiones definire non posse, quum ei commendentur bona Ecclesiæ secundum canones administranda. Apparet porro, pensionem debere esse modicam, & ad necessitates pensionarii restrictam, quum Ephesino Episcopo, Asiæ Metropolitanò, 200. solidos assignatos legimus. Suppetunt & alia vetera exempla pensionum; Episcopis vel senectute confectis, vel incurSIONE barbarorum dejectis, & clericis, ad agendam pœnitentiã monasterio commendatis, datarum³.

1) *In concil. Chalced. act. 12. p. 705.*

2) *Hist. eccl. l. 28. n. 26.*

3) JO. DIAC. *vita S. Gregor. l. 3. c. 26. l. 4. c. 39.* GREGOR. 1. *ep. 43. 42. 2. ep. 53.*

trahuntur in abusum.

II. PRESBYTERORUM & clericorum reditus principio erant pensiones, & postquam beneficia partita sunt, Episcopi infirmis pauperibusque tales assignarunt, quæ res inde a sæculo XII. corruptelis ansam dedit. Sæpe enim Episcopi cum titulato partiebantur præbendam vel curam, licet hic non serviret; sæpe in conferendo partem fructuum sibi reservarunt; sæpe beneficia locarunt, ut ipsi tantundem meterent, ac beneficiarius; qui vix spiritum ducens cum officium tum reparationes neglexit¹. His corruptelis medelam adhibuere canones, quibus causæ & quotæ pensionum determinatæ; pontifici earum creandarum vel admittendarum potestate reservata². Sed schisma Avenionense turbavit omnia. Cardinales quippe, quibus tot beneficiorum cumulus denique ruborem excussit, partem eu-

rum resignarunt, sed tanta pensione oneratam, ut titulatus esset instar conductoris ³. Pensiones assignatæ fuere hominibus aliunde locupletibus, qui nec serviebant, nec umquam serviverant, nec servituti erant Ecclesiæ: immo & laicis. Ultima lex est bulla Pauli IV.

1) THOMASS. p. 4. l. 4. c. 38. n. 4. seq.

2) Conc. Lat. III. 1179. c. 7.

3) Hist. Carol. V. l. 1. c. 11.

III. Ex hujus igitur constitutione a solo pontifice ex justis causis constitui possunt. Justæ causæ sunt, resignatio sive pura sive permutationis causa; transactio inter duos litigantes & pacis conservatio. Sunt & causæ extraordinariæ, veluti singularia in Ecclesiam merita, & aliæ, ob quas Rex Franciæ, si quem ad majus beneficium nominat, pensiones sibi reservare solet assignandas. Ubi tamen semper supponendum, pensionarium sine his talem se exhibere non posse, qualem vel natales vel dignitas postulant. Paupertas enim suffragatur ad pensiones e bonis ecclesiasticis, tamquam patrimonio pauperum, percipiendas.

cui medetur Paulus IV.

IV. DETERMINATA pensionum quota est, & tertiam proventuum superare nequit; ubi tamen nulla sit partitio, sed nuda quantitatis assignatio. Nec plures pensiones uni injunctæ eandem tertiam superare possunt. Nostro jure resignantes pensionem sibi reservare nequeunt e beneficio, quod obligat ad residentiam, nisi XV. annos servierint, vel adversa valetudine urgeantur ¹. Quod propter eos constitutum est, qui simulatque quietam

quota quæ sit?

possessionem nacti sunt, beneficium pro certa pensione resignarunt, ut novam ambire possent. Eodem jure titulatus in tantum onerari nequit, ut non quotannis CCC. libras salvas habeat. Unde tenuia beneficia pensionibus exempta sunt². Constitutionibus Pii V. & *proxim.* & Sixti V. *cum sacros.* pensionarii simplices, aliis beneficiis destituti, tondere & habitum clericalem induere, nec non minus officium S. Virginis recitare tenentur, ut sciant, clericos se esse, & Ecclesie servire debere, a qua nutriuntur.

1) *Edict.* 1671. & 1679. 2) *Conc. Trid. sess. 24. c. 13.*

quomodo
constituantur?

V. PENSIO in collatione tantum & in literis provisionum constituitur: sed constituta per omnem vitam impetrantis perdurat, licet beneficium ad alium perveniat, & in hujus provisione nulla *pensionis* mentio. Resignans, si pensio per plures annos non solvitur, regressum petere potest in beneficium. Amittitur pensio iisdem modis, quibus beneficium; matrimonio scilicet, irregularitate, crimine. Redimi quoque potest pecunia, si pensionario non est instar tituli clericalis, & si bona fide sine pactione simoniaca assignata est. Pensio habet favorem alimentorum: si tamen beneficium, pensione oneratum, ad plures possessores pervenit, praesens possessor, moribus nostris, solvit tantum pensionem ultimi anni, quum ipse non habeat apochas antecessoris, & pensionarius sibi imputare debeat, quod pensionem *sequestratione fructuum* vel alio modo non exegerit. Aliter comparata sunt

sunt alia beneficiorum onera, quæ quisque fert pro rata temporis. Nihilominus decimator, purgata moræ suspicione, ab eo, qui morte vacans beneficium nactus est, duorum; & a resignatario trium annorum decimas exigere potest ¹.

1) per edict. Januar. 1599. art. 16.

C A P. X X V I.
D E C O M M E N D I S.

I.

ALIIUS modus attribuendi redditus beneficiorum iis, qui non sunt titulati, est *commendæ*, quæ principio id erat, quod vocabulum latinum sonat, *custodia* scilicet seu *administratio vacantis Ecclesiæ*, dum titulum nancisceretur. Sic Longobardis Italiam vastantibus, quum Ecclesiæ sæpe desererentur & Episcopi e sedibus ejicerentur, GREGORIUS papa vicinis Episcopis vicinas Ecclesias, pastoribus destitutas aut dejectis Episcopis orbas, dum Episcopo cardinali seu titulato providebantur, *commendavit* ¹. Talis visitator seu *commendatarius* e proventu Ecclesiæ commendatæ non nisi necessaria & modicum laborum præmium tulit, reliquis fructibus ordinario servatis ¹. Nonnumquam dejecto Episcopo abbatia dabatur, ut vivere posset ³.

Commendæ
olim necessaria

1) 1. ep. 76. 2. ep. 13 15. 35. hist. eccles. l. 35. n. 17.
2) Id. ep. 35. 3) Id. ep. 38. 39.

II. SUB regibus nostris Carolingicis tam perversus hujus juris usus invaluit, ut

trahuntur in ab-
usum.

S